

tium est: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c. Particulam* quamvis praeit elenchus *Capitum* seu potius *Conspectus* totius *Particulae*; non enim numeri congruunt. Ita elenchus *Part. I.* censet *Capitula XXVI.* cum reipsa sint *XLVI.* et in impressis plane *LXIV.* et sic de aliis. Nil tamen propterea *Operis* integritati deest. Finit *Lotbarius* post expositum *Missae Canonem* his verbis: *totum (Canonem) continue censui subscribendum.* Omisserunt illum *Lipsiensis* et *Coloniensis*, non vero *Codex* noster, in quo *Capitibus XII.* distinctus exacte legitur. Confer, si lubet, etiam *Cod. DCCXCIX.*

CCXXVI. VIII. f. 70.

466 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 144. 4. per duas columnas bene exaratus, rubricisque distinctus hanc Notam praefert: *Iste liber pertinet Conuentui fratrum sancte Crucis Canon. Regular. Domus Colonien. quem contulit nobis dilectus pater et confrater noster Johannes de castro vulgariter torborch. quondam prior noster. nunc autem in bentlage monasterien. dioc. cui tamen alia manus adiecit: Dono habui et habui dono cum alijs. Continet porro Sequentia: I. De Sanctis post pascha Secund. Johannem. Ego sum uitis uera &c. Omelia beati augustini episcopi. Incipit: Iste locus euangelicus ubi se dominus uitem et discipulos suos palmites &c. Et finit: per ineffabilem gratiam*
Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

Verbum caro factum est et habitauit in nobis. Itaque tres hic *Tractatus in Johannem* uidelicet *LXXX.* — *LXXXII.* prout extant edit. *Maur. Paris. T. III. P. 2. col. 702.* in unam *Homiliam* coaluere non adeo oculatum scriptorem nacti, ut qui varia transfiliit. Malo tamen mox sub principium cum eo: *fecit autem labruscas*, quam cum edit. *fecit autem spinas.*

II. fol. 5. a *Nesselii* manu: *S. Bernardi Vitis Mystica seu Tractatus de Passione Domini*, cuius initium: *Jesu benigne, uitis uera, lignum uite &c.* et finis: *finemque sacramus optimo et dulcissimo ihesu. Amen.* Transtulit *Mabillonius* in *Opp. Bernardi* edit. *Paris. 1690. Vol. II. T. 5. col. 427.* ad *Ανωμοτον* *pium nec indoctum nec inelegantem.* Textus noster correctior edito. Melius enim *benedicte flos*, quam *benedictus. proprietates notare* quam *nominare. nec tantum naturam istius uitis, sed etiam ea* quam nec tantum ea. *Et primo quidem occurrit quod quam Et primo quidem quod plantata est pro plantatus &c.*

III. fol. 52. p. 2. Incipiunt *Soliloquia bernhardi.* In edit. cit. col. 199. tribuuntur *Guillelmo Abb. S. Theodorici* titulo *de contemplando Deo* cum *Prooemio*, quod *Codex* noster ignorat, qui infit: *Uenite ascendamus ad montem domini &c.* et in alias particulas sectus est, quam quidem in *Editis.* Ultima sunt: *te adoramus et benedicimus tibi gloria in secula.* Post quae rubro notatum: *Item*
de

de soliloquiis bernardi. Atque hic comparet Particula illa, quae in Edit. *Prooemium* inscribitur, incipitque: *In lacu miserie et in luto fecis* &c. Sed in Codice continuo adtexta est ei alia Particula, quam in Edit. non reperio, quaeque totius Tractatus *Epilogus*, et non nisi per Librarium errorem cum *Prologo* conjuncta fuisse videtur. Cum enim *Tractatus* ab Allegoria Animae ad montem Domini ascendens et Corpus suum interea inferius expectare jubentis incipiat, dicaturque in fine *Cap. penult. Sed jam astinus* (corpus) *revocat et pueri perstrepunt*, atque ideo Anima c. ult. supremum veluti vale Deo faciat, non inconcinne ea sequuntur, a quibus Particula nostra inchoat: *Surge et exi hinc. Domine bonum est nos hic esse. Quo ibo a facie tua? Exi hinc et redi ad egrotum tuum, corpus tuum, quod tibi commisi custodiendum et observandum. Jam tabescit. Infelix ego homo quis me liberabit* &c. Probe ista consonant cum iis, quae Tractatus initio habentur: *Revertetur enim et heu revertetur quam citissime*, vel, ut legit Noster: *Reuertetur enim et heu quam cito.* Notet porro Lector, Particulam hanc nec T. IV. *Biblioth. Cisterc.* cui inferta sunt *Guillelmi* Opuscula, comparere. Finit illa: *Patientes estote usque ad aduentum meum. Usquequo Domine? Moyses et Aaron ite ad onera vestra.*

IV. fol. 59. p. 2. *Sermo pulcher.* In illud Isa. c. 66. 13. Si-

cus mater consolatur filios suos ita consolabor uos. Initium: *Magna est super nos fratres karissimi pietas conditoris nostri, qui multo ampliori affectu nos diligit quam aliqua mater filium suum* &c. Deinceps de 7. Generibus lacrimarum, de 15. fluentibus de ubere humanitatis &c. Finis: *sed fruamini cum gaudio magno in presenti per gratiam et in futuro per gloriam. Quod nobis prestare* &c. Autorem ignoro.

V. fol. 63. p. 2. *Sermo bernardi de natiuitate domini nostri ihesu christi dilecti paruuli.* Initium: *Grandis quidem est dilectissimi bodierna dominice natiuitatis sollempnitas* &c. Est Sermo I. edit. *suprac.* T. III. col. 776. Ad dam et Sermones in *Cod.* subsequos: *Item sermo bern. de natiuitate domini.* Initium: *Duo quaedam rerum genera* &c. Est Sermo III. col. 781. In *Circumcisione domini sermo bernardi.* Initium: *Audiuimus paucis uerbis expressum* &c. col. 788. *Sermo primus de circumcissione.* Initium: *Ab initio deus modum acceptat* &c. Est Sermo II. col. 790. *Sermo bern. de resurrectione christi.* Initium: *Vicit leo de tribu iuda. vicit plane maliciam* &c. col. 892. *Idem de eadem resurrectione.* Initium: *Accepimus ab Apostolo habitare christum* &c. col. 899. *Sermo bernardi in penthecoste.* Initium: *Celebremus dilectissimi bodie spiritus sancti sollempnitatem* &c. col. 928. Atque hic Bernardi Sermones interrumpuntur.

VI. fol. 79. *In die corporis Christi sermo.* Initium: *Inmensa diuine largitatis beneficia exhibita populo christiano &c.* Primum *Lectiones sunt Thomae Aquinatis de hoc Festo, five Opusculum ejus LVII. T. XVII. Edit. Rom. 1570. fol. 40. f.* His dein adnectitur Cento e Patribus de Eucharistiae figuris in Lege veteri, qui definit in Recentioris cujusdam institutionem practicam de usu S. Caenae hoc fine: *ad montem uirtutis uiatores adducens, ad quem nos perducatur &c.*

VII. fol. 81. p. 2. *In diuisione Apostolorum.* Initium: *Numerus apostolorum duodenarius sub multis sacre scripture figuris est signatus &c.* Materia potius congesta pro Sermone, quam Sermo formatus. Coenobitam arguunt multa de *Regulis, de Prae-latis &c.* Inter alia ridiculum: *Quidam ueniunt ad montem gelboe id est ad ecclesiasticam dignitatem in nominatio casu. ut qui nominentur et habeant famam longam et latam. Quidam in genitio: ut qui traxerunt ortum ex nobili genere. Quidam in datio. ut qui ascendunt per symoniacam prauitatem. Alii in accusatio. ut illi qui honestam personam impugnant ut cedat. Alii in ablatio. ut cum iuste adeptus deicitur. et alter minus iuste creatur. Alii in uocatio. et hij beati ascendunt &c.* Digna, quibus Oliv. Mail-lardus, aut Abrab. a S. Clara inuideant.

VIII. fol. 84. p. 2. *Resumuntur Bernardi Sermones.* Primus:

de Angelis. Initium: *Angelorum hodie memoria celebratur &c.* Habitus in Festo S. Michaelis legitur edit. *suprac. T. III. col. 1019.* Idem *de Angelis.* Initium: *Audistis fratres ewangelicam lectionem &c. col. 1021.* Bern. *de omnibus sanctis.* Initium: *Festiuitatem hodiernam sanctorum omnium &c. col. 1023.*

IX. fol. 91. p. 2. *Sermo in conceptione marie non Bernardi.* Non certe, ut qui Virginem sine labe originali conceptam propugnat. Incipit: *Celeberrima enim sollempnitas conceptionis sancte dei genitricis alme uirginis marie ab eterno in mente fecundissima summi opificis singulariter predestinata — multis erat temporibus occultata sed multis miraculis desuper reuelata.* Adducit porro Miracula illa de *Helsino* Abbate et duobus *Clericis*, quae depromit ex *Epistola* five *Sermone Anselmi Cantuar.* quem Gerberonius inter *Fiditia* rejecit in edit. *Opp. Anselmi Paris. 1721. append. p. 505.* in *Censuris* praeviis contendens, *Anselmum* in contraria fuisse sententia. At uero eum Festo conceptionis saltem fuisse, vel e *Cap. 2. Concilii Londin. a. 1328.* celebrati liquet, ubi legis: *venerabilis Anselmi praedecessoris nostri, qui post alia quaedam ipsius antiquiora solemnia Conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inherentes &c.* Quid, quod e verbis ejus in *Tract. de Conceptu Virg. et orig. Pecc. c. 18.* *Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo*

nequit intelligi, *Virgo illa niteret* &c. argumentum instrui queat, eum cum Nostro sensisse? Verum haec ad Scholas. Mentem suam interim Noster sic aperit: *Conceptio enim fuit uirtuosa et nulli culpe obnoxia, quamuis quidam theologi dicant beatam uirginem originalem maculam contraxisse quod est intelligendum de iure communi. Incidisset utique si deus omnipotens eam non preseruasset. sed in eodem instanti quo anima illa nobilissima corpori uniebatur capax fuit gratie diuine quam deus sibi singulariter infudit et a culpa cui omnes ex semine uirili concepti obligantur preseruauit. Atque hoc iis rationibus fulcit, quibus Job. Scotus, Petr. Aureolus, Job. Baconus, Herveus Nat. Franc. de Mayronis &c. deinceps usi fuere.*

X. fol. 97. p. 2. Redeunt *Bernardi Sermones*. Primus de purificatione beate marie uirginis. Incipit: *Hodie templi dominum in templum domini uirgo mater inducit &c.* Extat edit. et T. *suprac.* col. 959. *Bernb. de purificatione*. Incipit: *Purificationem beate marie uirginis hodie celebramus &c.* col. 962.

XI. fol. 99. p. 2. In annuntiatione beate uirginis marie de coniugio spirituali. Ignoti mihi Auctoris Sermo, cujus exordium: *Adest nobis sermo dilectissimi in christo de coniugio quod est inter uerbum patris et humanam naturam assumptam in unitate persone. Similiter et de spirituali quod est inter deum et animum iustam.*

Exultet angelica turba celorum &c. Per decursum bis *Gregorium M.* citari video, legoque illud: *Trepidare uirginum est et ad omnem uiri ingressum pavere &c.* quod *Ambrosii* est L. 2. in *Lucam*. Finis: *non amplius cor nostrum amori alterius preterquam christi sponsi pro nobis incarnati et passi prebeamus ipso adiuuante qui &c.*

XII. fol. 102. p. 2. *Bernardi* denuo *Sermones VII.* uno *Hieronymi* interjecto. In assumptione marie uirginis Sermo *Bern.* Incipit: *Virgo gloriosa hodie celos ascendens &c.* T. *suprac.* col. 995. Definit in uerba: *amplectenda dignatio maiestatis, nec habet particulam illam, quae in Edit. sequitur. Sermo Ieronimi de assumptione marie.* Spurius et jam *Cod. CXCIII.* indicatus. In assumptione marie *Bernardus*. Initium: *Intrauit Iesus in quoddam castellum &c. Quod dominus ac saluator noster semel et uno loco uisibiliter &c.* Reiectus a *Mabilonio*, ut nothus, in T. V. col. 681. quod in *mss.* non extat inter genuinos *Bernardi Sermones*. Extat tamen inter tales in *Cod.* praesenti. In natiuitate uirginis marie sermo *bern.* Praemissa lacinia quadam de Salutatione Angeli, quae infit: *Aue gratia plena. Non in sola uirginitate constare poterat gratie plenitudo &c.* et in Allegoriam de *Hydriis Canae* definit, sequitur *Bernardi Sermo*, qui in Edit. adsignatur col. 1006. *Dominicae infra Octavam Assumptionis, hujus exordii: Signum magnum*

num apparuit in celo &c. *Veementer quidem dilectissimi uir vnus et mulier vna* &c. Post finem, quem habet in Edit. adtexta est nobis Peroratio incipiens: *Per te accessum habeamus ad filium* &c. quam in Edit. habes ad calcem *Sermonis II. de Adventu Domini col. 723.* Sequitur porro *Sermo bern. de aduentu domini.* Initium: *Hodie fratres in aduentu domini quem celebramus* &c. cui absque titulo statim nequitur alter: *Dignum est fratres ut tota cum deuotione* &c. Uterque Edit. col. 723. et 726. *Bern. in die palmarum.* Iterum duo Sermones connexi nullo titulo medio. Prior: *Non sine causa spiritum sponsi* &c. Alter: *Neceffe est ut loquamur hodie breuius* &c. In Edit. col. 878. et 879. *Bern. de passione domini.* Initium: *Uigilate animo fratres ne infructuose* &c. col. 884. *In cena domini Sermo bernbar.* Initium: *Isti sunt dies quos obseruare debetis dies pleni pietate et gratia* &c. col. 890. Uniuersim igitur *Codex iste Sermones Bernbar-di XIX.* complectitur, qui non spernendam aliquando lectionem offerunt.

XIII. fol. 125. *Altricio Augustini contra iudeos.* Incipit: *Uos inquam conuenio o iudei qui usque in hodiernum diem* &c. Spuria etiam *Cod. CCXLIX.* indicata.

XIV. fol. 126. p. 2. *Sermo leonis pape de trinitate.* Exordium: *Ad ecclesie filios instruendos addendum est* &c. Intellige *Tractatum aduersus Errores Eutyche-tis*, ut extat Edit. *Venet. Opp.*

1748. p. 102. f. sed *Periodus tertia nobis sic legitur: Fiat ergo per corda omnium dispensatio omnium munerum diuinorum. et seruitutem oris nostri docti similiter indocti non spernant.*

XV. fol. 130. p. 2. *Sermo Iohannis (Chrysoftomi) episcopi de misericordia.* Initium: *Tria sunt que in misericordie opere optanda sunt christiano* &c. Finis: *quas non sperauit inueniat.* Non extat in Edit. *Maur. Opp.* graecolat. legitur tamen latinus in Edit. *Lugd. 1687. T. V. p. 372. f.*

XVI. fol. 132. *Sancti Augustini de penitentibus.* Initium: *Pius dominus ac misericors per prophetam nos hortatur ad penitentiam* &c. Finis: *et suscipit omnes ad se reuertentes. cui est honor et gloria* &c. E variis *Caesarii Locis de Decimis, Eleemosyna*, consideratione *Mortis* compilatus *Sermo breuis.*

XVII. fol. 133. *Sancti maximi episcopi de Letanijs.* Initium: *Legimus in propheta cum Nyniue ciuitati submersio (subuersio) diuinitus immineret* &c. Extat in *Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 27.* et cum *Opp. S. Leonis. Venet. 1748. p. 199. f.* In *Cod. pro crapulosis epulis* legitur *copiosis*, ubi rectius etiam *in propheta*, quam *in Prophetis*, quod habent *Edita.*

XVIII. fol. 133. p. 2. *Item sermo de letanijs.* Initium: *Quia dies letaniarum id est supplicatio-num annua reuolutione recolimus libet propter simpliciores unde exordium sumpserint breuiter commemorare.* Deducto dein ab Apo-

stolis post Christi ascensionem in ciuitate manere iussis instituto morem recentius inductum ita refert Noster: *Nam cum exigentibus peccatis galliarum populi luporum rabie acriter interirent, nec illius flagelli adeo remedium inueniri posset. Congregati traduntur galliarum episcopi apud uiennam precipuam gallie urbem atque in comune statuerunt ut triduo ieiunio domini misericordiam implorarent antiquorum patrum uestigia sequentes. Cumque ad eorum preces oculus diuine misericordie respiciens flagelli bujus pestem misericorditer abstulisset, hij dies in consuetudinem annue celebritatis venerunt ut per galliarum prouintias ante ascensionis domini diem celebrarentur. Agamus ergo et nos hos dies &c. Urget dein officia uitae christianae praecipue Fidem, Spem et Caritatem, quas per piscem, ovum et panem apud Lucam C. II. designari contendit, finitque: in precibus perseuerare debetis quousque has tres uirtutes impetrare a domino ualeatis. Quod ipse nobis concedat, qui &c. Autorem ignoro, qui ex allatis Gallus fuisse non uidetur.*

XIX. fol. 134. p. 2. *Sermo de ascensione domini. Et manu recentiore: leonis pape. Recte; legitur enim edit. Opp. Venet. 1748. p. 76. hoc initio: Sacramentum dilectissimi salutis nostrae quam pretio sanguinis sui &c.*

XX. fol. 136. *Item de ascensione domini sermo. Initium: Hec festiuitas fratres karissimi ideo ascensio domini uocatur quia in il-*

la humanitas quam filius dei assumpsit ex nobis ascendit in celum &c. Finis: Quod ipse uobis concedat qui pro nostra salute nasci mori resurgere et ad celos ascendere uoluit. Qui cum deo &c. Ab eodem ignoto Autore Sermones omnes ἀδελφότης hujus Codicis proficisci puto.

XXI. fol. 137. *In natiuitate Iohannis baptiste Sermo maximi episcopi. Incipit: Solemnitates nobis diuersorum martirum fratres karissimi uite presentis occasus &c. ut Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 32. et edit. Venet. suprac. p. 135.*

XXII. fol. 138. *Sermo Leonis pape in festo petri et pauli apostolorum. Incipit: Omnium quidem sanctarum solemnitatum dilectissimi totus mundus est particeps &c. ut edit. Venet. suprac. p. 83. sed nobis his uerbis peroratur: et finis fecit equales, nec adest clausula Editorum.*

XXIII. fol. 139. *Sermo beati Iohannis (Chrysoft.) episcopi de beato paulo apostolo. Initium: Beatus paulus qui tantam uim alacritatis humane &c. Est Tertius de Laudibus Pauli et legitur edit. Maur. graecolat. Paris. 1718. T. II. col. 486. Item Lugd. lat. 1687. T. III. p. 318.*

XXIV. fol. 141. *Sermo leonis pape de ephifania domini nostri ihesu christi. Incipit: Gaudete in domino dilectissimi iterum dico gaudete &c. Est II. de hoc Festo et legitur edit. Venet. suprac. p. 30. Codex mox sub initium pro persequentibus habet non credentibus,*

717

P A T R I S T I C I

718

et magis infra per occultam gratiam uocaretur pro signaretur.

XXV. fol. 141. p. 2. Sermo fulgentij episcopi de eodem. Initium: *Nostis fratres karissimi quod dies iste qui nobis in honore domini per singulos annos celebratur &c.* Extat edit. *Opp. Venet.* 1742. p. 253. f. ubi perperam sub initium: *Et quia Graecum probatur esse vocabulum, (Epiphania) multis est Latinis incognitum. Inde est quod &c.* Rectius Codex: *multisque Latinis incognitum inde est quod &c.*

Quas tu si caperis discrimina mille ualebis.

Tempnere perpetua atque carere fame.

Augustinus adest bonus hic athleta famosus.

Denas qui cordas tangere rite quiuuit.

Hinc tibi iohannes odas canit atticus ille.

Fuluo qui meritis. emicat ore sacris.

Hic interiectus est *Elenchus* Contentorum in *Cod.* quorum ultimum numeratur *Omelia sancti Iohannis* (Chrysoftomi) *de cordis compunc-*

Exempla istorum fuerit quicumque secutus.

Hic possessor erit o paradise tui.

Et nunc Liber praedictus orditur: *Deus et dominus noster misericors et miserator &c.* ut *T. V. Opp.* edit. *Maur. Paris.* 1683. col. 48. ubi *Classis I. Sermo IX.* est, lectione tamen non raro variante; ita *c. 2.* nobis *fol. 1. p. 2.* malim cum nostro: *Clamemus et laudemus, quam cum Eeditis: Clamauimus et laudauimus &c.* Concluditur: *Erit ergo illud sabbatum sabbatorum, quod hic desideramus.*

CCXXVII. VI. E. 30.

Codex membraneus lat. Sec. 318 saltem XII. Folior. nunc 24. f. per duas columnas exaratus, Titulisque miniatis distinctus, manus, ut videtur, *Hispanae* e titulo paullo recentius *pag. ult.* adscripto: *Don Rodrigo por la gracia de dios Rey de castilla de Tholedo de leon de Galisia de seuilla de cordoua de Murcia de iaben et algarbe, sequentia continet: I. Incipit Liber De Decem Cordis S. Augustini.*

tionem, ad quam Distichon postremum adludit, quae vero deperiit. Dein concludit Poeta:

ut ibi inueniamus. Iterum, ut videtur, rectius, quam in *Eeditis.*

II. *fol. 13. p. 2.* Item *Sermo S. Augustini De Die Iudicii.* Initium: *Audiuimus cum euangelium legeretur terribilem simul et desiderabilem uocem — Discedite a me maledicti &c.* Finis: *et ad celorum regnum feliciter peruenire. Prestante domino nostro ihesu christo qui &c.* Extat *T. cit. append. col. 142.* monentque Editores, eum